

exsequi, dum curam religioni impendunt, quantum sinit conditio temporum et forma regiminis politici. Opportunissimum certe fuit nationibus christianis ita juvari concursu mutuo utriusque auctoritatis, ut gradatim deducerentur ab ætate barbariæ infantiaque socialis, ad statum illum præsentem quo merito gloriantur. Nemo dubitat quin ex illo regimine cui ultro assentiebantur populi, societas multum profecerit animorum cultu, notionibus juris tum privati tum publici, morum informatione, aliisque optimis institutis. At simul animadvertimus maximum omnium officiorum principis in negotio religionis esse tueri libertatem Ecclesiæ. Ipsa etiam ætate qua arctiori fœdere utraque societas uniebatur in commune bonum, vigilabant pastores ne protectio data Ecclesiæ converteretur in dominatum (nº 65). « Non-seulement les princes ne peuvent rien contre « l'Église, *aiebat* Fénelon, mais encore ils ne peuvent rien « pour elle qu'en lui obéissant. Il est vrai que le prince pieux « et zélé est nommé l'Évêque du dehors et le protecteur des « canons, expressions que nous répéterons avec joie dans le « sens modéré des anciens qui s'en sont servis ; mais l'Évêque « du dehors ne doit jamais entreprendre les fonctions de celui « du dedans ; il se tient, le glaive à la main, à la porte du « sanctuaire, mais il prend garde d'y entrer : en même temps « qu'il protège, il obéit. » (*Discours pour le sacre de l'électeur de Cologne.*) Quanto magis abstinere debent principes, in statu præsentis societatis, ab omni impedimento libertati ecclesiasticæ afferendo!...

513. — IIIº *Quæ sint jura laicorum in Ecclesia?*

I. Laici jus habent ad participationem bonorum spiritualium communium fidelibus, juxta modum pro eorundem bonorum dispensatione ab auctoritate ecclesiastica præscriptum. Jus itaque habent recipiendi sacramenta, possunt interesse conventibus sacris, divinis officiis, etc..., modo studeant se conformare regulis canonicis.

II. Non possunt sibi vindicare jura clericalia. Vel enim hæc

jura ordinantur ad dispensationem sacrorum mysteriorum, vel ad regimen rerum ecclesiasticarum. Non possunt in priori casu, siquidem dispensatio sacramentorum et benedictionum sacerdotium supponit characterem sacramento, aut ritu consecrationis, animæ impressum quo laici carent. Neque alia præterequeunt; nam, posita divina constitutione Ecclesiæ, omnis jurisdictio, in qualicumque gradu consistat, omne officium publicum administrationem rei spiritualis includens, non aliter acquiritur quam delegatione a Pastoribus accepta: porro Ecclesia prohibuit lege generali quominus laicis demandentur jura clericalia, quod in cap. 2 DE JUDICIIS, lib. II Decret., sic statuitur: « Decernimus ut laici ecclesiastica negotia tractare non præsumant. »

Hinc concludendum divina ordinatione requiri ut Principes sæculares, quando curas religioni impendunt, agant modo subordinato auctoritati Ecclesiæ, cujus definitiones ac decreta tuentur, et executioni mandari curant. Sanctus Avitus Viennensis ad Clodovæum dicebat: *Imperator filius est Ecclesiæ, non præsul; quod ad Religionem competit, discere ei convenit, non docere.* Si quid sponte propria, in rebus ecclesiasticis contra primorum Pastorum decreta princeps attentaverit, non protectorem se gerit, sed sacerdotalis auctoritatis usurpatorem.

III. Laici acquirere possunt vi rescriptorum Sanctæ Sedis, et etiam longævæ consuetudinis, legitimis conditionibus vestitæ, jus nominandi clericos promovendos ad beneficium et officium ecclesiasticum, quod concessum Principibus catholicis per concordata, item fundatoribus beneficiorum quorundam, vidimus in Iª parte. De his iterum dicendi occasio se dabit, quando disseremus de *Jure patronatu* in beneficia.

Sunt aliæ prærogativæ honorificæ attributæ aliquando magnatibus: v. g., ut specialiter nominentur in publicis orationibus, ut sedem propriam eminentiorem occupent, ut thurificentur atque aquam benedictam accipiant per aspergilli præsentationem, de quo multa habentur in *Cæremoniali Episcoporum*, lib. I, cap. XXIII, et in *Decretis authenticis* S. Congregationis Rituum.

## SECTIO II<sup>a</sup>

### DE CLERICIS.

314. — Clerici dicuntur quos sacra ordinatio a laicis distinguit. Addicti sunt cultui publico, et Ecclesiae ministerio, vi suae ordinationis et delegationis acceptae, unde ipsum nomen obtinent; nam vox Graeca *κληρικός*, quae latine *sors* interpretatur, significat clericos in sortem Domini vocatos esse, ad illius scilicet cultum modo peculiari applicari.

Quatuor praecipuas quaestiones perpendemus de clericis: 1<sup>o</sup> quinam assumendi sint e laicis, in statum clericalem promovendi; 2<sup>o</sup> quae regulae servandae in clericorum ordinatione; 3<sup>o</sup> quibus obligationibus, vi sui status, ad praescriptum juris canonici teneantur; 4<sup>o</sup> quae sint illorum praerogativae, seu jura.

Altera subsequetur sectio de collegiis clericorum; quod vero spectat ad munia et obligationes illorum qui beneficia obtinent, aut dignitate aliqua ecclesiastica donantur, explicatum fuit in I<sup>a</sup> parte *Praelectionum*, ubi de Episcoporum, Parochorum et Capellanorum officio; caetera quae dicenda supersunt, exponetur in sectione de beneficiis et de honorum temporalium Ecclesiae regimine.

#### ARTICULUS I. — DE PROMO VENDIS IN STATUM CLERICALEM.

315. — Promoventur in statum clericalem qui immunes sunt ab irregularitatibus, et praerferunt signa vocationis divinae,

#### ART. I. QUI PROMO VENDI SINT AD STATUM CLERICALEM. 15

quae illos sacris ministeriis idoneos efficit. De vocatione proinde dicendum habemus; quaestione de irregularitatibus ad alium locum remissa, ubi simul agitur de censuris, ob materiarum connexionem.

316. — 1<sup>o</sup> *Quid sit vocatio ad statum clericalem, et quibus signis manifestetur?*

I. Vocatio sub duplici respectu considerari debet; ex parte Dei et ex parte Ecclesiae. A parte Dei est actus voluntatis in ordine supernaturali quo Deus aliquem destinat ad statum clericalem, ipsique media praeparat ad finem assequendum necessaria. A parte Ecclesiae est actus jurisdictionis spiritualis quo primi Pastores seligunt et assumunt quos idoneos sacro ministerio, ac divina Providentia dispositos, judicant ad statum clericalem<sup>1</sup>.

Vocationem, utroque sensu acceptam, necessariam esse multa comprobant.

1<sup>o</sup> *Exemplum et doctrina Christi*, de quo sanctus Paulus dixit: « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo... sic et Christus non semetipsum glorificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum... Tu es sacerdos in aeternum. » (*Ep. ad Hebraeos*, cap. v.) Si Christus, quatenus sanctuarium ingredi, non vocatus a Deo? Verba Christi: « Ego sum ostium; qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro, » aequae demonstrant necessitatem non aliter ascendendi ad statum clericalem quo intratur in ovile ovium, quam per voluntatem Domini N. J. C.

2<sup>o</sup> *Doctrina sanctorum Patrum*, qui constanter eadem principia tradiderunt, ex quibus corollaria practica deduxerunt.

<sup>1</sup> Cf. S. Gregorium Magnum, *de Cura pastoralis*, part. I, cap. v et vi; — S. Thomam, 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. clxxxv, art. 1 et 11; — Hallier, *de Sacris Electionibus*, part. I, sect. v, art. 1 et 11; — S. Liguori, lib. IV, n<sup>o</sup> 78; lib. VI, n<sup>o</sup> 802, 803; — Habert, tract. *de Ordine*, part. III, cap. 1.

« Eos rectores Ecclesia accipit, ait sanctus Leo, quos Spiritus  
 « sanctus præparavit; ut in populo adoptionis Dei, cujus uni-  
 « versitas sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa ter-  
 « renæ originis obtineat unctionem, sed dignatio cœlestis gra-  
 « tiæ gignat antistitem. » (*Sermo III*, anniv. suæ Assumpt.)  
 Sanctus Gregorius iis omnibus « qui nequaquam divinitus  
 « vocati, sed sua cupiditate accensi culmen regiminis rapiunt  
 « potius quam assequuntur, » opponit verba divina : « *Ipsi*  
 « *regnaverunt et non ex me; Principes extiterunt et*  
 « *non cognovi.* » (*De Cura Past.*, part. I, cap. I.) Ecclesia  
 suum ea de re sensum ita manifestat in *Pontificali* intra sacros  
 ritus ordinationis Diaconorum et Presbyterorum : « Vere  
 « dignum est nos tibi gratias agere... æterne Deus, honorum  
 « dator, ordinumque distributor, atque officiorum dispositor,  
 « qui in te manens innovas omnia et cuncta disponis per Ver-  
 « bum, virtutem sapientiamque tuam, Jesum Christum Filium  
 « tuum, sempiterna providentia præparas, et singulis quibusque  
 « temporibus aptanda dispensas. »

5<sup>o</sup> *Ipsa tandem ratio*, principiis fidei innixa, probat necessi-  
 tatem divinæ vocationis. Novimus ex evangelicis doctrinis, divi-  
 nam Providentiam cuncta regere ac moderari, adeo ut nec  
 capillus de capite nostro pereat sine Patre nostro qui in cœlis  
 est. Quanto magis illa disponit quæ proxime referunt ad homi-  
 num salutem, et ad suorum consiliorum in Ecclesia executionem !...  
 Insuper hoc speciale habet status clericalis ut destinetur  
 ad officium mediationis inter Deum et homines, intercessionis  
 apud divinam misericordiam et dispensationis divinatorum sacra-  
 mentorum ; jam autem nemo sibi mediatoris partes assumit,  
 nisi admittatur a partibus quarum interest, et præsertim a Deo  
 a quo pendet nostra reconciliatio ; nemo etiam se ingerere pro-  
 prio nutu potest in dispensationem mysteriorum Christi... Tan-  
 dem homo indiget multis gratiis ut illa munera ordinis super-  
 naturalis rite obeat ; ex divina autem vocatione tanquam a  
 radice pendent illa auxilia. « Quos enim, ait S. Thomas, ad

« aliquid eligit, ita præparat et disponit ut ad id ad quod eligun-  
 « tur inveniantur idonei, secundum illud : *Idoneos nos fecit*  
 « *ministros novi Testamenti.* » Part. III, q. xxvii, art. iv.  
 Unde Dominus : *Ego sum ostium ; per me si quis introie-  
 rit, salvabitur et ingredietur et egredietur, et pascua inve-  
 niet.* (S. Joann., x, 9.)

517. — II. Vocationis diversa sunt signa, alia extraordina-  
 ria, alia communia.

Deum quandoque mediis extraordinariis manifestare suam  
 voluntatem videmus in vita plurium sanctorum Pontificum,  
 v. g., in vita S. Gregorii Magni, S. Ambrosii, etc., ne de voca-  
 tione sancti Pauli loquamur. Præter facta externa quæ miracula  
 censentur, sunt aliquando intra mentem, insolitis Spiritus  
 sancti motibus, incitamenta quæ non minori certitudine vo-  
 luntatem Dei ostendunt.

Signa vocationis communia sunt : 1<sup>o</sup> sensus quidam super-  
 naturalis hominem inclinans ad amplectendum statum clerica-  
 lem, intuitu gloriæ Dei ; 2<sup>o</sup> idoneitas ad sacrum ministerium,  
 quod supponit, tum ex parte corporis, tum ex parte animæ,  
 dotes, prudentiam in agendo, spem virtutis firmatæ quæ ne-  
 cessaria sunt ut convenienter impleatur ; 3<sup>o</sup> electio facta a  
 Pastore, nimirum ab Episcopo ; siquidem juxta concilium Tri-  
 dentinum, « Nullus ordinari debet, qui iudicio sui Episcopi non  
 « sit utilis aut necessarius suis ecclesiis. » Conc. Trid., sess.  
 xxiii, cap. xvi, *de Reform.*

Hæc tria simul convenire debent, sed præsertim duo pos-  
 teriora. Deus non vocat communiter hominem ad statum  
 clericalem, quin illum interius inclinet aspiratione quadam  
 supernaturali : at illa inspiratio non est semper sensibilis ;  
 est quandoque impugnata affectibus contrariis naturæ, vel etiam  
 timore quem animæ incutit onus grave ministerii sacerdotalis.  
 Fieri potest aliunde ut quis humano affectu appetat sacros or-  
 dines, sua terrena desideria sibimet dissimulando sub specie  
 pietatis ; nam sæpe mens humana sibi mentitur. Plures, ait

Habert, qui juxta S. Liguori de vocatione egregie scripsit, pro certo signo vocationis statuunt ardens et constans desiderium adipiscendi ordines, sed immerito; si enim accuratius discutatur, forte accendi deprehendetur non a Deo qui charitas est, sed a cupiditate, tum parentum, tum ipsorummet candidatorum, quorum alii fovendæ desidiæ gratia, alii familiaris rei angustia pressi, alii appetitu gloriæ, ad sacerdotium ducuntur. Quapropter desiderium illud per se sufficiens non est indicium; sed vocatio canonica regulariter facta, modo tamen quis suos intimos sensus ingenue aperuerit, vera cordis simplicitate, nulla adhibita arte qua sollicitetur assensus superioris, certum est signum.

518.—II<sup>o</sup> *Utrum vocatio imponat obligationem amplectendi statum clericalem?*

Pro solutione dubii distinguendum videtur inter casum quo intervenerit signum extraordinarium voluntatis Dei, vel præceptum Ecclesiæ, et casus communes.

I. Urget obligatio amplectendi statum clericalem, in casu quo fuerint signa extraordinaria vocationis, vel intercesserit præceptum positivum Ecclesiæ, id est S. Pontificis aut Episcopi. « Dicendum, ait S. Thomas, quod accipere Episcopatum non est de se necessarium ad salutem, sed fit necessarium ex præcepto superioris. » Rationem allegat: « Ad inordinationem voluntatis pertinet quod aliquis omnino contra superioris injunctionem, prædictum gubernationis officium finaliter recuset, propter duo: primo quidem hoc repugnat charitati proximorum, quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco et tempore...; secundo repugnat humilitati per quam aliquis superiorum mandatis se subjicit; unde S. Gregorius dixit: Tunc est vera humilitas ante oculos Dei, cum ad respondendum hoc quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est. » (II<sup>a</sup> II<sup>æ</sup>, q. 185, art. 2.) Quod autem S. Thomas dixit de Episcopatu, debet ob paritatem rationum dici de ordinibus inferioribus. « Ecclesiæ necessitas, ait Benedictus XIV, alteri cuilibet respectui

« præponderare debet atque sufficere dicenda est, ut etiam qui aliunde ad ordinem sacrum aut ad sacerdotium promoveri non tenentur, et ad majores ordines et ad sacerdotium ipsum ascendere compellantur. » (*De Synodo*, lib. XII, cap. iv, n. 7.) Ratione firmatur hæc doctrina: si enim Deus suam voluntatem signis extraordinariis manifestaverit, quis dixerit hominem ei resistere tuta conscientia posse? Si vero superior, vices Dei gerens, præcipiat ob urgentem Ecclesiæ necessitatem cui providere debet, quomodo fas erit non obsequi mandato?... Unde in capite *Placuit*, 4, dist. LXXIV, statuitur contra clericos aut diaconos, non obtemperantes suis Episcopis, qui volunt eos ad honorem ampliorem promovere pro necessitatibus Ecclesiarum: ipsis interdicitur ministrare in suo gradu, unde recedere noluerunt.

Episcopus nemini debet injungere præceptum absolutum suscipiendi ordines, nisi urgeat gravis necessitas Ecclesiæ cui providere aliter non possit. Jura vetant ne quis ordinetur invitus; et leges synodiæ decreverunt pœnitentiæ subdi Episcopum qui invitos et reclamantes præsumpserit ordinare. Sanctus Gregorius ad Episcopum Salonitanum scripsit: *Justum est ut nemo crescere compellatur invitus*. Cap. *Episcopus*, 1, *Gesta*, 2, dist. LXXIV.

519.—II. Quando sunt tantum signa communia vocationis, nec ullum intercedit mandatum Ecclesiæ, prudentia christiana suadet ut quisque obsequatur monitis et judicio sui superioris; strictam autem ea de re urgere obligationem non probatur.

I<sup>o</sup> *Suadet christiana prudentia*. Est semper aliquid inordinatum in renuente: aut defectus humilitatis, si in suo sensu nimis abundet contra superioris judicium; aut defectus spei in auxilium Dei, qui providet abundanter iis quos ad tantum onus elevat; aut defectus zeli et religionis ad procurandum gloriam Dei et salutem animarum; porro hæc, in re tanti momenti, periculum satis grave inducunt, ne qui renuit divinam inspirationem, votis Ecclesiæ non obtemperando, privetur donis uberio-

ribus gratiæ; quinimo ne forte veniat in discrimen salutis. — « Si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, ait « sanctus Augustinus, Ep. ad Eudoxium, nec avida elatione « suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis... neque otium « vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti, « si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non « inveniretis. » Sanctus autem Gregorius: « Qui vocati susci- « pere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non « pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cumque « sua et non aliorum lucra cogitant, ipsis se, quæ privata ha- « bere appetunt, bonis privant... de quo si stricte judicentur, « ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes in publicum « prodesse potuerunt. » (*De cura Past.*, Part. I, cap. v.)

II<sup>o</sup> *Strictam urgere obligationem non probatur.*

S. Pœnitentiaria respondit ad consultationem sibi propositam (27 aug., ann. 1829), non esse cogendum ad suscipiendum sacros ordines clericum, qui, licet a suis superioribus electus, et a suo confessario dignus judicatus sacro ministerio, obtemperare illorum monitis renuit, humilitatis causa, vel timore periculorum; nec etiam cogendum censuit diaconum ad suscipiendum presbyteratus ordinem, quamvis, ut in casu præcedenti, *a superioribus eligatur tanquam aptissimus et a confessario dignus judicetur.* Ratio desumitur e discrimine quod omnes agnoscunt inter præcepta et consilia. Nemo tenetur amplecti statum clericalem cui annexa est praxis consilii evangelici castitatis et abdicationis curarum sæcularium, nisi constet de voluntate absoluta Dei præceptum imponentis. Porro, in casu adducto non constat de voluntate Dei absoluta, sive ad decisionem confessarii, sive ad agendi rationem Ecclesiæ attenderimus.

1<sup>o</sup> Prudens confessarius qui non ex revelatione cœlesti, consilia Dei novit, sed rem dijudicat juxta regulas prudentiæ christianæ, potest pronuntiare de idoneitate alicujus ad sacrum ministerium; at ubi nulla apparent signa extraordinaria, nec exterius, nec in situ intimo animæ ordinandi, utquid diceret inter-

cedere absolutam voluntatem Dei?... 2<sup>o</sup> Ecclesia, id est Episcopus, communiter non imponit, nec jure ordinario imponere valet, iis qui idonei esse existimantur, obligationem suscipiendi sacros ordines. Quin etiam promovendos ad subdiaconatum præmonet liberos esse ad sæcularia vota transire, tametsi existimet eosdem suum propositum considerate perpensis... 3<sup>o</sup> Quod ad divinam ordinationem attinet, observare est Deum homini præparasse auxilia opportuna ad observationem consiliorum evangelicorum, multosque afflatu sui spiritus ad meliora incitare ut perfectiorem viam sequantur, quin tamen ab eis hujusce consilii observationem strictè exigat, alias non subsisteret distinctio inter consilia et præcepta.

Dicere igitur licet Deum suavi providentiâ ita cuncta disporre, ut pastorum ministerio eligat et vocet eos quos iidem pastores, servatis regulis juris ac prudentiæ, assumunt, illisque simul gratias necessarias reservare. Si proinde Ecclesia aliquem necessitatis causa compellat ad susceptionem ordinum, hunc Deus Ecclesiæ vocanti obtemperare jubet; si autem Ecclesia non compellat, sed tantummodo invitet ac hortetur, Deus eum incitat ut Pastoris voto obsecundet, hoc autem non imperat. Ergo, quamvis multum expediat ut unusquisque vocatus juxta regulas communes accedat, vocatio ordinaria non imponit per se obligationem strictam amplectendi statum clericalem.

ARTICULUS II. — DE REGULIS JURE PRÆSTITUTIS UT QUIS RITE AD ORDINATIONEM ADMITTATUR.

520. Canones multa præscripserunt de clericorum ordinationibus, præsertim ut non aliter promoveantur quam a proprio Episcopo, aut cum litteris dimissorialibus; ut titulum habeant quotquot sacris ordinibus initiantur, nisi super hac re dispensationem obtinuerint; ut ordines conferantur successive per

singulos gradus, nullo intermedio prætermisso, temporibus jure præfixis, et post debitum examen. De proprio Episcopo, deque litteris dimissorialibus actum est in I<sup>a</sup> parte (n<sup>is</sup> 165-166) : reliquum est ut cæteras regulas exponamus.

1<sup>o</sup> DE TITULO AD ORDINATIONEM REQUISITO.

321. — I<sup>o</sup> *Quid jure præscriptum sit de titulo clericali relative ad ordinationem?*

I. Titulus olim dicebatur Ecclesia cujus servitio clerici adscribebantur ut sacrum ibi ministerium stabiliter exercerent; quapropter in hac *intitulati* erant, vel *incardinati*, ut aiebant. Ratio hujus disciplinæ fuit ne clerici vagarentur per dioceses, a suo Episcopo independentes : hac insuper disciplina provisum fuit necessitatibus temporalibus clericorum.

Titulus, more hodierno, intelligitur bonum temporale, ecclesiasticum seu patrimoniale, quod sit ita clerico assertum ut exinde habeat quo providere possit suæ honestæ sustentationi.

Triplex distinguitur titulus : alter *Beneficii*, alter *Patrimonii*, tertius *Paupertatis*, quam vovent regulares et ob quam congregatio promittit se provisoriam illorum sustentationi.

Ecclesia prohibuit quominus clerici ordinentur sine titulo, nisi aliud requirat utilitas sacri ministerii, quo casu Episcopus curat de sustentatione promoti ad sacros ordines.

Certum quidem est nullum clericum fuisse antiquis temporibus ordinatum qui non ascriberetur alicui Ecclesiæ. « Eos qui absolute ordinantur decrevit sancta Synodus (Chalcedonensis) « vacuam habere manuum impositionem; » scilicet interdicti exercitio ordinis ita suscepti. (Cap. *Neminem*, 1, distinct. LXX.) Quando concilium Lateranense, habitum sub Alexandro III, ann. 1179, decrevit Episcopum qui ordinaverit clericum sine titulo, obligari ad ei ministrandum necessaria vitæ

donec assignet illi, in Ecclesia, stipendia sufficientia militiæ clericalis, *nisi talis ordinatus de sua vel paterna hæreditate vitæ subsidium habere possit*, intendebat solummodo ut provideretur necessitatibus clericorum, quos, seu imprudenter, seu necessitatis causa, Episcopus ordinaverit absque titulo beneficii; vim retinente veteri disciplina. Paulatim tamen alio sensu lex fuit interpretata, invaluitque opinio licitas esse ordinationes sine titulo beneficii, modo clerici haberent necessaria ad sui sustentationem.

Introductio tituli patrimonialis nullatenus derogavit legi qua Episcopis indicitur illos tantum ordinandi quos utiles suis Ecclesiis judicaverint. Quinimo, eandem disciplinam confirmavit concilium Tridentinum, sess. XXI, cap. II, *de Reform.*; et Innocentius XII, memoratis decretis apostolicæ sedis quibus moderatus videri potuisset rigor canonum, statim addidit : « Contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, « salutarem illam, quam sacri generalis Tridentini decreta de « non ordinandis ad patrimonii titulum, nisi illos quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum ecclesiarum, « assumendos judicaverint, præscribunt, disciplinam nequaquam relaxatam intelligi. » (Const. *Speculatores*, § 1, « 4 nov. an. 1694.)

Ecclesia ut finem intentum assequeretur, hæc præscripsit : 1<sup>o</sup> Si quis ordinetur titulo beneficii, debet beneficium actu possidere, atque ex eodem beneficio habere redditum sufficientem juxta taxam diocesis; illud præterea alienare non potest, ulla resignatione, nisi facta mentione quod ad hujus beneficii titulum fuerit ordinatus; resignationem acceptari vetat Concilium Tridentinum, sess. XXI, cap. II, nisi aliunde provisum sit convenienti sustentationi clerici. — 2<sup>o</sup> Si titulus sit bonum patrimoniale aut pensio, debet esse bonum certum; quapropter non sufficit spes futuræ successionis, pensio facultativa, bonum in commercio expositum, vel hypothecis gravatum. Insuper idem fere statutum fuit de titulo patrimoniali ac de beneficio, ne

alienetur aut remittatur sine licentia Episcopi, et assecurata conditione clerici per aliud medium. Examen de existentia et valore tituli competit Episcopo originis quando ipse clericum ordinat. Episcopus domicili et beneficii tenetur solummodo inspicere litteras testimoniales datas ab Episcopo originis, quando patrimonium assumitur in complementum beneficii. (Barbosa, *in conc. Trid.*, sess. XXI, cap. II, n<sup>o</sup>s 60, 61, 62. — Gallemart, in eundem locum.)

322. — II. Ecclesia legem sancitam esse voluit pœnis canonicis, tum in Episcopum ordinantem, tum in clericos ordinatorum sine titulo.

I. Episcopus qui alicui manus imposuerit sub promissione quod ordinandus *super provisione sua non inquietet illum*, id est quod victum suum ab illo non postulaturus sit, suspensus est per triennium a collatione ordinum (cap. *Si quis*, 45, DE SIMONIA, lib. V Decret.); insuper Episcopus ordinans aliquem sine titulo beneficii tenetur ei providere donec ipsi contulerit beneficia ecclesiastica, nisi clericus habeat aliunde sufficiens subsidium, et illa obligatio transit ad successorem. (Cap. *Cum secundum*, 16, DE PRÆBENDIS, lib. III Decret.)

Hæredes possent et ipsi obligari jure naturali ad onus subeundum, ratione habita hæreditatis, si Episcopus gravi incuria indiscretas ordinationes fecerit; expediens tamen fuit obligationem imponi successoribus Episcopi defuncti. Etenim, 1<sup>o</sup> illud onus non tam in pœnam imponitur, quam in honorem status clericalis, cui unusquisque Episcopus debet invigilare in sua diœcesi; 2<sup>o</sup> communiter in diœcesi sunt officia quædam quæ possunt clericis committi; 3<sup>o</sup> sæpe parentes, aut hæredes Episcopi, vel non habent in hæreditate unde valeant clericorum necessitatibus providere, aut nolunt; quapropter indiscrete ordinati in grave discrimen venirent, si illorum conditio dimitteretur hæredibus Episcopi.

II. Quod ad ipsos clericos attinet, pœna suspensionis, *latæ sententiæ*, indicta fuit in illos 1<sup>o</sup> qui ementito titulo ordina-

tionem obtinent; 2<sup>o</sup> qui cum Episcopo paciscuntur, spondentes se nihil postulaturus ad sui subsidium; 3<sup>o</sup> qui simili pacto se erga parentes obligaverunt, adeo ut parentes sub ea conditione titulum constituerint.

Prob. 1<sup>o</sup> *Auctoritate Concil. Trid.*, quod in capite mox alato de necessitate tituli, addit: « *antiquorum canonum pœnas innovando.* » Porro pœnæ antiquis canonibus latæ, sunt præsertim suspensio, cui synodus Chalcedonensis subjecit clericos ordinatorum absque titulo. Leges subsequentes paulisper moderatæ sunt veterem disciplinam in favorem Episcopi, nusquam ita abrogaverunt ut ne attingeret quidem clericum, suum Episcopum decipientem ementito titulo. 2<sup>o</sup> *Textibus Decretalium.* Legimus in cap. *Si quis*, 45, DE SIMONIA, quod refertur ad secundum casum quem allegavimus: « Si quis ordinaverit aliquem, promissionem vel juramentum ab eo recipiens quod super provisione sua non inquietet eundem, ordinator a collatione ordinum, et ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc ab apostolica Sede obtinuerint, noverint se suspensos. » (Est Gregorii IX.) 3<sup>o</sup> *Decisionibus S. Congregationis.* Refert Reiffenstuel in lib. I, tit. XI, n<sup>o</sup> 198: « Censuisse S. Congregationem omnium sententiis, in hoc doli casu, pœnam suspensionis aut concilium, nec ab Innocentio III, nec ab alio fuisse correctam, et hodie a concilio Trident. fuisse innovatam, et propterea hujusmodi clericum qui, adhibito dolo vel ficto titulo, ordinatorum decepit, esse ipso jure suspensum et carere ordinum exercitio. » Idem statuit Urbanus VIII, anno 1624, Const. *Secretis* contra male ordinatorum et male ordinatorum.

323. — *Nota.* 1<sup>o</sup> Clerici qui alienant titulum sine licentia Episcopi, graviter peccant, et tamen non incurrunt censuram, siquidem jus nullam pœnam pro tali casu edixit <sup>1</sup>. In foro conscientiæ ambigi potest an valida sit alienatio, quia concilium

<sup>1</sup> Suarez, Disp. XXX, sect. I, n<sup>o</sup> 58.

Trid. statuit. : «... Patrimonium... deinceps alienari, aut ex-  
« tinguui, *vel remitti nullatenus possit*, sine licentia Episcopi,  
« donec beneficium sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant  
« unde vivere possint. » Plures canonistæ inde concludunt  
alienationem patrimonii, aut pensionis extinctionem, quæ fit  
post ordinationem, esse ipso jure invalidam, tum ob illam  
dictionem *nullatenus possit* quæ indicare videtur nullitatem  
ipso jure; tum etiam quia verbum *possit* negative prolatum  
necessitatem importat et actum contra gestum nullum omnino  
reddit. Animadvertendum est tamen concilium, quod paulo  
antea dixerat resignationem tituli beneficalis *nullam fore si*  
facta sit contra suas præscriptiones, non eandem sententiam  
pronuntiare, dum vetat ne alienetur titulus patrimonialis.

324. — 2º Leges canonicæ de titulo clericali vigent in plu-  
ribus Galliæ provinciis; simul præfinitum habetur in statutis  
diœcesanis quis redditus annuus requiratur ad constituendum  
patrimonium ecclesiasticum, et quomodo assicurandus sit.  
Omnes tenentur statutis obtemperare, nisi titulum patrimo-  
nialem, pensionem certam, aut fundum frugiferum sibi  
comparare nequeant; quo casu impetrant dispensationem ab  
Episcopo. In aliis provinciis lex videtur in desuetudinem versa,  
propterea quod plerique clerici impares sint titulo præsti-  
tuto; quam ob causam Episcopi consueverunt, a diuturno tem-  
pore, non postulare a promovendis titulum patrimoniale; et  
clerici ad sacros ordines accedunt, non impetrata peculiari dis-  
pensatione. Ordinantur ea lege ut semper ad diœcesis mi-  
nisterium præsto sint præsuli vocanti, qui illis de necessariis  
providebit.

2º DE ORDINATIONE PER SINGULOS GRADUS.

325. — 1º *Quid sentiendum de licitate et validitate ordi-  
nationis factæ, uno prætermisso ordine?*

I. Sunt in Ecclesia catholica gradus per quos ad summum  
sacerdotii apicem clericus ascendit.

Prima tonsura non est proprie ordo, sed veluti novitiatus  
status clericalis et *præambulum* ad ordines, ut ait sanctus  
Thomas. Ordines dividuntur in minores et majores. Quatuor  
sunt ordines minores: inter majores annumerantur subdiacona-  
tus, diaconatus et presbyteratus. Locum ultimum obtinet epis-  
copatus, quem arbitramur esse non simplex complementum  
presbyteratus, sed ordinem distinctum et participem, in summo  
gradu, gratiæ sacramentalis: habet etenim functiones sacras  
quæ nullatenus conveniunt presbyteris et ipsi annectitur gratia  
hæc jura obeundi.

II. Ordinationes factæ, uno prætermisso ordine, sunt illicitæ,  
quatenus prohibitiæ jure ecclesiastico; quod non solum de majo-  
ribus, sed etiam de minoribus ordinibus, imo de ipsa tonsura  
canonistæ interpretantur.

Ita omnes DD. juxta constantissimas traditiones, quas ab  
ineunte vº sæculo inculcabat Zozymus Papa in epist. ad Hesy-  
chium: « Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus  
« gradu, divini rudimentis servitii; nec illi vile sit exorcistam,  
« acolythum, subdiaconum, diaconum fieri per ordinem; nec  
« hoc saltu, sed statutis majorum ordinatione temporibus. »  
(*Ep. ix, P. Coustant., p. 969.*) Quamvis tonsura non sit  
ordo, nulli tamen permittitur ullum ordinem suscipere qui  
non fuerit statui clericali prima tonsura initiatus; quia juxta  
disciplinam pluribus abhinc sæculis constitutam, est præpara-  
tio canonica ad ordines. Ita declaratum fuisse a S. Congr.  
referunt Barbosa et Gallemart in sess. XXIII. Conc. Trid.,  
cap. XIV, *de Reform.*

III. Ordinationes *per saltum* sunt nihilominus validæ,  
nisi agatur de episcopatu qui collatus fuerit alicui non sa-  
cerdoti.

Ratio est quod singuli ordines habeant prærogativas pro-  
prias quæ non pendent ab attributionibus ordinis inferioris;



quamobrem nihil obstat quominus, v. g., clericus valide suscipiat diaconatum, non recepto subdiaconatu. Idem confirmat praxis Ecclesiæ; quoties enim actum fuit de hujusmodi ordinationibus, præcepit ut ordines prætermitti conferrentur, non jussit iterari collationem ordinum jam susceptorum.

Dixi: *Nisi agatur de episcopatu...* Theologi qui existimant episcopatum non esse ordinem a presbyteratu distinctum, sed hujus ordinis complementum, illico concludere debent necessitatem absolutam presbyteratus ad susceptionem episcopatus. Qui arbitrantur esse ordinem distinctum, ad eandem conclusionem practicam deveniunt; necessarium enim est ut Episcopus habeat potestatem sacramenta conficiendi et administrandi, corpus Domini consecrandi... alioquin non esset vere pontifex: porro episcopatus per se hanc potestatem non confert; nihil est enim in ritu consecrationis episcopalis quo character sacerdotii cum illius juribus designetur. Christus duo potuit insimul conferre, et permittere Ecclesiæ ut eadem jura tribueret unica ordinatione: at cum, ex una parte, hæc duo sint natura rerum distincta; cum, altera ex parte, nullum citetur monumentum traditionis quod nos doceat Christum sic disposuisse, vel aliquando probante Ecclesia episcopatum datum fuisse non presbytero, jure dicimus ordinationem factam eo modo habendam fore pro invalida, et consequenter rursus iterandam, saltem sub conditione, collato prius presbyteratu<sup>4</sup>.

526. — II<sup>o</sup> *Quæ pœnæ latæ sint contra ordinatos per saltum, et quandonam Episcopus possit cum eis dispensare?*

I. Alexander II respondit Episcopo consulenti circa clericum qui diaconatum et presbyteratum susceperat, subdiaconatus ordine prætermisso: «... Charitati tuæ mandamus ut ab officio sacerdotii eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejuniis subdiaconatus ministerium sibi rite impo-

<sup>4</sup> Bened. XIV. Const. *In postremo*, § 10-14, an. 1756.

« nas, et sic deinceps ad majora officia eum redire concedas. » (Cap. *Sollicitudo*, dist. LII.)

Ex illo textu concludimus clericum ordinatum per saltum esse: 1<sup>o</sup> suspensum ab exercitio ordinis sic irregulariter suscepti; 2<sup>o</sup> impeditum quoad ordinem superiorem; qui enim ab uno ordine suspenditur, ad altiorem ascendere prohibetur. 3<sup>o</sup> Canonistæ insuper communiter tenent hunc clericum non posse, nisi obtenta dispensatione, ordinem prætermisum recipere. Suarez illud concludit ex regula generali juxta quam nemo ligatus censura, seu suspensione ab ordine, ullum ordinem licite suscipere valet. (Disp. xxxi, sect. 1, n<sup>is</sup> 48, 49.)

II. Episcopus dispensare potest cum promotis per saltum, si non ministraverint, ut ordines postpositos recipiant, majores jam susceptos exinde exerceant, ac tandem ad superiores promoveri valeant. (Conc. Trid., sess. xxiii, cap. xiv, *de Reform.*) Non dispensat cum clerico ut ordinem superiorem recipiat, nec ordinem susceptum exerceat, antequam ordini prætermisso initiatus fuerit; dispensatio autem data ad effectum suscipiendi ordinem prætermisum, alias dispensationes includere merito præsumitur, nisi superior limitet effectum concessionis; hæc enim sibi invicem connectuntur. Ratio canonica cur interdictum sit exercitium ordinis suscepti, est prætermisio ordinis inferioris qui reputatur dispositio conveniens ad sacrum ministerium in gradu superiori rite adimplendum; causa igitur subla per dispensationem, aufertur prohibitio.

Dixi: *Nisi ministraverint...* non obstante suspensione, et ita cum mala fide egerint; omnes qui suspensionem temere violant fungendo sacris ministeriis, ipso facto incidunt in irregularitatem, super qua Episcopi non habent jus dispensandi.

### 3<sup>o</sup> DE INTERSTITIIS; DE STATIS TEMPORIBUS, ET LOCO ORDINATIONUM.

527. — I<sup>o</sup> *Quid jure præscriptum sit de interstitiis intra singulas ordinationes servandis?*

I. A primæva ætate Ecclesia sapientissimis regulis providit ut servarentur interstitia inter ordines, de quo sufficiat iterum citare epistolam Zozymi ad Hesygium Episcopum Salontanum, quam modo memoravimus: « Hæc autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores usque ad vigesimum ætatis annum continuata observatione perduret. Si major jam et grandævus accesserit, ita tamen ut post baptismum statim, si divinæ militiæ desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur: exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis; et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat; in quo ordine quinque annis, si inculcate se gesserit, hæreere debet. Exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, presbyterii sacerdotium poterit promereri. »

Disciplinam interstitiorum, paulisper temperatam successu temporum, sic determinavit concilium Tridentinum: 1° Minores ordines per temporum interstitia, nisi Episcopo aliud magis expedire videatur, conferantur. Sufficit tempus quod elabatur ab una ordinatione ad aliam proxime subsequentem. 2° A susceptione postremi ordinis ad subdiaconatum intercedere debet spatium unius anni, nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiæ, judicio Episcopi, aliter exposcat. 3° A subdiaconatu ad diaconatum, et a diaconatu ad presbyteratum, intercedere debet unus saltem annus. (Sess. XXIII, cap. XI, XIII, XIV, de Reform.) Si conferantur textus concilii, videbitur dandam esse difficilius dispensationem interstitiorum ab ultimo ordine minori ad subdiaconatum, et a diaconatu ad presbyteratum, quam inter alios ordines. Mens concilii non est ut Episcopus pro arbitrio dispenset in priori casu, sed solummodo si id exposcat necessitas, aut utilitas Ecclesiæ, judicio Episcopi; major siquidem probatio necessaria est, ut quis se vinculo perpetuo obliget per subdiaconatum, vel ad sacerdotium promoveatur.

II. Prohibitum est, sub pœna suspensionis, ne quis eodem die, vel duobus continuis diebus, duos sacros ordines suscipere præsumat. Cap. *Litteras*, 15, DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, lib. I Decret. Ordinatus suspensus est ipso facto ab exercitio ordinis ultimo suscepti, et Episcopus a collatione utriusque ordinis quem contra sanctiones canonicas contulit. In utroque casu suspensio est indefinita quoad tempus: clericus et Episcopus ligati permanent, donec de illis aliter disponat Sancta Sedes, ut fert caput juris allatum.

An prohibitum sit etiam conferre eodem die subdiaconatum cum minoribus, in controversiam venit, quia desunt textus qui id expresse interdican. Cælestinus III graviter animadvertit in clericum qui furtive suscipere præsumperat eodem die subdiaconatum cum minoribus, cap. *Cum N. lator*, 2, DE EO QUI FURTIVE..., lib. V Decret.; nihil vero pronuntiat de potestate Episcopi. Dicendum tamen id illicitum esse, quod probatur: 1° *ex sensu doctorum*, qui generatim tenent hanc ordinationem prohibitam esse juxta disciplinam communem Ecclesiarum; 2° *ex lege Tridentina*, quæ majorem exposcit causam ut dispenset Episcopus super interstitiis ab ultimo ordine minori ad subdiaconatum; unde merito concluditur Episcopum agere contra mentem concilii, qui eodem die utrumque conferre præsumit; 3° *ex declaratione S. Congregationis*. S. Congregatio censuit indulgendum non fore Episcopis ut ordines minores eodem die cum subdiaconatu conferrent; et argui voluit Episcopum qui ab illa regula recesserat, nec eum a pœnis debitis liberavit nisi ea conditione ut in posterum ab hoc gravi facinore abstineret. (Bened. XIV, Institutione CVI, n° 10<sup>1</sup>.)

528. — II° Quibusnam diebus liceat ordines conferre?

I. Tonsura conferri potest qualibet die et hora.

II. Licitum est Episcopo « dominicis et aliis diebus festivis,

<sup>1</sup> Cf. Giraldi, part. I, sect. LXXXVII. Censet nullam suspensionem in hoc casu incurri ipso facto, ab Episcopo nec ab ordinatis, quia nihil ea de statutum fuit a jure.

« unum aut duos ad minores ordines promovere ; » cap. *De eo*, 3, DE TEMP. ORDIN.; quod canonistæ eo sensu interpretantur ut paucis solummodo ordines conferantur, ne fiat ordinatio generalis, nisi diebus mox indicandis.

Hæc notanda : 1° Juxta *Pontificale*, ordines minores conferri debent mane, etsi non requiratur ut id fiat intra Missarum solemnias : 2° Dies festi de quibus agitur ii sunt qui celebrantur ex præcepto, eo enim sensu vox *festivus dies* intelligitur communiter. Hoc tamen non obstat quominus ordinatio licite fiat in Galliis diebus festis qui olim servabantur a fidelibus, et qui desierunt esse de præcepto vi concordati, quia mens Sanctæ Sedis fuit festa eadem ratione ac antea celebrari, dempta solummodo, respectu populi, obligatione audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus. 3° S. Congregatio haud semel respondit tolerari posse consuetudinem immemorabilem conferendi ordines minores postmeridie feriæ VI ante sabbatum ordinum, sed expedire ut Episcopus sese conformet *Pontificali*. Annotator collectionis Gardellianæ merito animadvertit in responsis datis agi solummodo de casu consuetudinis immemorabilis. *Decreta authentica*, n° 4563, ad 11<sup>um</sup>, 11 mart. 1820.

III. Subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus conferri debent sabbatis quatuor temporum, vel Sabbato sancto, aut sabbato ante dominicam Passionis, non vero dominicis hæc sabbata subsequentibus, nisi ordinans et ordinandus producere velint jejuniū sabbati in dominicam. Ita cap. *Quod a patribus*, 4, dist. LXXV, in quo S. Leo testatur fuisse a Patribus traditum ut non passim detur ordinatio sacerdotalis aut levitica, sed sabbatis indicatis, « quod ejusdem observantiæ erit, » ait Pontifex, si mane ipso dominico die, continuato jejuniō « sabbati celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia « non recedunt. »

Duo animadvertere debemus : 1° Dies præfixos pro collatione ordinum sacrorum immutare non valet contraria consuetudo. Cap. *Sane*, 2, eod. tit. 2° Si defectus essentialis acciderit

in ordinatione clerici, reparari debet diebus statutis ad collationem ordinum, non alio tempore. Cap. *Presbyter*, 3, DE SACRAM. NON ITERANDIS, lib. I Decret. Si defectus sit mere accidentalis, Episcopus quovis tempore supplere potest quod prætermisum fuerit. Idem fortassis dicendum, si, ob solum dubium, conditionate iteretur ordinatio. (S. Alph. de Liguori, *de Ordine*, n° 759.)

S. Sedes indulget Episcopis facultatem conferendi ordines *extra tempora*, quando opus est. Qui hujuscemodi indulta obtinuerunt, possunt conferre sacros ordines diebus dominicis, et diebus festis de præcepto, non vero aliis diebus festis, ritu etiam duplici, quemadmodum sæpius declaravit S. Congregatio, teste Benedicto XIV, *Institutione* CVI<sup>1</sup>.

Patres Societatis Jesu obtinuerunt a Gregorio XIII privilegium cum ea clausula : *præsentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis qui sua privilegia cum ipsa Societate participant et participare poterunt, quomodolibet in futurum fieri omnino prohibemus*. Hinc concludimus alias congregationes non posse in partem hujusmodi privilegii admitti, nisi mentio contineatur in communicatione concessa cæteris regularibus; vel declaretur tribui participationem earum quoque immunitatum quæ antea interdicebantur. Benedictus XIV testatur ita observari Romæ, ubi cæteri regulares (præter Patres Societatis Jesu) ad ordines extra tempora suscipiendos minime accedunt, nisi peculiarem antea facultatem sibi comparaverint. Non desunt quidem inter recentiores qui contrariam sententiam propugnant, asseruntque privilegium fuisse a tempore concilii omnibus regularibus concessum; sed Episcopus a quo postulatur ut regulares ordinet extra tempora, exigere potest ut certa probatio privilegii sibi exhibeatur<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> S. C. R. declaravit die 12 nov. 1831, et 18 feb. 1843, ordines etiam majores conferri posse diebus festis per S. Sedem abrogatis, quando Episcopi habent facultatem ordinationem celebrandi *extra tempora*. — Cf. *Theaurum res.*, S. Cong. Concilii, t. LI, pag. 61-64, an. 1782.

<sup>2</sup> Cf. Suarez, *de Legibus*, lib. VIII, cap. XVII, n° 8; — Benedictum XIV,

IV. Ordinationes Episcoporum fiunt diebus dominicis, et Natalitiis Apostolorum; vel etiam alia festiva die, si specialiter indulserit S. Pontifex.

329. — III<sup>o</sup> *Ubinam ordinatio fieri debeat?*

Episcopi in sua diœcesi, non in aliena, nisi assentiente Ordinario loci, debent conferre ordines. « Si secus factum fuerit, « Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sunt ipso jure suspensi. » Est nimirum lex generalis Ecclesiæ ut nullus Episcopus extra suam quisque diœcesim *pontificalia* exerceat. (Conc. Trid., sess. vi, cap. v, *de Reform.*) Controversia movetur quoad primam tonsuram, quia Episcopi eam frequenter conferunt absque usu pontificalium; at multo securius est ut abstineant, quandoquidem collatio tonsuræ est actus pontificalis, etiamsi non fiat cum insigniis pontificiis. (Schmalzgrueber, n<sup>o</sup> 18.)

Ordinationes regulariter fieri debent « in Cathedrali Ecclesia, « vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicis; si autem in « alio loco diœcesis, præsentibus clero loci, dignior, quantum « fieri poterit, Ecclesia semper adest. » (Conc. Trid., sess. xxiii, cap. viii, *de Reform.*) Censuit S. Congregatio Episcoporum posse ordinationem quæ non sit generalis, sed tantum aliorum clericorum, ubique facere, etiam in capella privata<sup>1</sup>. Quinimo Episcopi solent quandoque celebrare ordinationes generales in quavis Ecclesia, quando opportunum judicant; quod plures canonistæ arbitrantur non esse contrarium textui Tridentino, quia juxta illos textus allatus præceptum non indicat<sup>2</sup>. Potiori jure diceretur legem reipsa dari, sed ita interpretandam ut licet communiter ordinationes fieri debeant in cathedrali, episcopus tamen possit ob causam rationabilem eligere alias Ecclesias.

*Institutione* xxiii, n<sup>o</sup> 4-6; — S. Alph. de Liguori, *Theolog. mor.*, lib. VI, n<sup>o</sup> 797, ad dub. iii; — Giraldis, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. xcvi.

<sup>1</sup> Giraldis, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. xcvi.

<sup>2</sup> Schmalzgrueber, loc. cit., n<sup>o</sup> 17.

4<sup>o</sup> DE EXAMINE PRÆVIO, PROCLAMATIONIBUS JURE REQUISITIS, ET LITTERIS TESTIMONIALIBUS.

Nullus ad ordines promovetur qui non probetur idoneus; media autem quibus de idoneitate constare potest, sunt: examen, proclamationes bannorum, et litteræ testimoniales.

330. — I. Qui accedere ad ordines præsumit non examinatus, obnoxius est pœnæ excommunicationis ferendæ sententiæ.

Officium examinandi promovendos incumbit proprio Episcopo qui ordines confert, aut dat litteras dimissoriales. Episcopus rogatus ut ordinet clericos extraneos potest, si velit, eos iterum examinare; id tamen communiter non fit, ad consulendum honori proprii Ordinarii, et ne eundem a diversis Episcopis approbari et reprobari contingat. Eadem regula viget quoad regulares<sup>1</sup>.

Non sufficit ad approbationem ut Episcopus, aliusve examinatus ab Episcopo delegatus, nihil mali noverit de ordinando; sed comperire debet illius idoneitatem juxta gradum ad quem inhiat ascendere. « Non solum, ait S. Thomas, requiritur « quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati esse in « ordinando, sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram ordinis vel officii, diligentior cura apponatur ut habeatur « certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum<sup>2</sup>. » (III<sup>o</sup> part. suppl., quæst. xxxvi, art. iv, ad 3<sup>am</sup>.)

331. — II. Promovendis ad minores ordines sufficit ut testimonium habeant a paroco, et a magistro scholæ in qua educantur; nomina vero illorum qui ad singulos ordines majores

<sup>1</sup> Giraldis, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. xc; — Benedictus XIII, *Const. In suprema*, 25 sept. 1724; — Benedictus XIV, *Const. Impositi nobis*, 1747.

<sup>2</sup> Cf. Alph. Liguori, tract. *de Ordine*, n<sup>o</sup> 805.

assumendi sunt proponi debent publice in ecclesia; ut de illorum natalibus, ætate, moribus et vita inquiratur. (Conc. Trid., sess. xxiii, cap. v, *de Reform.*) Hæc publicatio fieri debet in loco natalitatis ordinandorum; et si sedem mutaverint, in loco ubi suum domicilium habent, servatis regulis Episcoporum auctoritate constitutis.

352. — III. Constitutione insuper Innocentii XII, *Speculatores*, præcipitur ut ordinans suo ordinatori exhibeat litteras testimoniales in multiplici casu: 1° si ordinans sit Episcopus originis, sed ordinandus extra locum originis tanto tempore moram traxerit, ut potuerit ibi canonico impedimento irretiri; 2° si ordinans sit Episcopus domicilii, quando ordinandus a loco originis discesserit ea ætate qua potuerit alicui impedimento obnoxius esse; 3° demum si ordinans sit Episcopus ratione beneficii vel familiæ, ad præscriptum concilii Tridentini, ordinandus muniri debet litteris testimonialibus tum Episcopi originis, tum Episcopi domicilii, ut supra.

ARTICULUS III. — DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

353. — Ordo clericalis gravissimum, at simul sanctissimum onus imponit singulis, præsertim qui sacris ordinibus initiati sunt, vitam agendi sua vocatione dignam, ut non minus præfulgeant morum puritate inter cæteros Christifideles, quam dignitate status præminent. Quo certius hunc finem assequantur, Ecclesia multas leges sancivit, quarum aliæ communes sunt omnibus clericis, aliæ autem ad varia officia attinent. De prioribus solummodo in hoc articulo dicemus; quod enim ad onera officiorum atinet, alibi exponitur, ubi nimirum de jurisdictione et de beneficiis.

Omnibus promotis ad sacros ordines præceptum est ut orationi publicæ vacent, castitatem servent, et deferant habitum clericalem; iisdem clericis leges canonicæ interdixerunt quæ vel a suo officio eos retraherent, vel periculo sui status expo-

nerent, uti sunt: cohabitatio cum mulieribus, noxia quædam oblectamenta, sæcularia negotia, de quibus nunc sigillatim deserendum est.

§ 1. *De recitatione divini officii.*

354. — Quæstionis solutionem remittimus ad tertiam partem *Prælectionum*, in qua dicendum erit *de Officio divino*, ut cunctæ quæstiones historicæ, doctrinales ac practicæ quæ ad officium publicum referuntur et sunt inter se connexæ, simul pertractentur.

§ 2. *De castitate servanda.*

355. — *Qui clerici teneantur continentiam servare, et undenam oriatur hæc obligatio?*

Omnes clerici majoribus ordinibus initiati, in Ecclesia Latina, tenentur perpetuam continentiam servare, adeo ut nec post susceptum ordinem matrimonium valide contrahere, nec matrimonio ante ordinationem contracto uti licite possint.

Concilium Tridentinum anathemate percutit illos qui dixerint « clericos in sacris ordinibus constitutos... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante « lege ecclesiastica vel voto. » (Sess. xxiv, can. 9<sup>1</sup>.) Ut vero plenior solutio detur quæstionis propositæ, expedit nonnulla notare de origine, universalitate et natura legis; et de libertate morali qua clerici debent sacros ordines suscipere, ut lege teneantur.

I. Hæc disciplina, quatenus ad Episcopos, presbyteros et dia-

<sup>1</sup> Cf. *Distinctiones* xxvii, xxviii, xxxii, decreti Gratiani; — Thomassin, *Vetus et Nova Ecclesiæ Disciplina*, part. I, lib. II, cap. lx, et seq. ad lxvi.